



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Benedictus Sanctorum Cosmae, & Damiani Cardinalis Odescalcus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

Benedictus Sanctorum Cosmæ, & Damiani  
Cardinalis Odescalus.

**I**N carne præter carnem vixit Beatus Thomas de Villanoua, Beatissime Pater. Siuè enim intra sui religiosissimi Ordinis claustra viueret. siue Archiepiscopali dignitate fulgeret; in singulis virtutibus ita eminuit, quasi cæteras non haberet: eiusdemquè diuitiæ fuerunt nihil possidere, & Crux, quam tota vita familiarem habuit. Nam quod suo præparco victui supererat, in pauperes erogabat, quos ardentissimè ab incunabulis dilexit, vt meritò de se dicere potuisset. Ab infantia mea creuit mecum Misericordia, & de vtero Matris meæ egressa est mecum. Cœlitum ergo cœtui adscribendum censeo, qui cœlestem vitam in terris exegit: Sic enim magis mortalibus præfulgebit ad vitæ immortalitatem, & charitas in egenos, quæ in Christi fidelibus elanguit, feliciter florescet.

Laurentius Sancti Angeli in foro piscium Cardinalis Raggius.

**P**Ar est, Beatissime Pater, vt qui Christianæ militiæ Duces meritis æquiparat, eosdem exæquet & titulo. Thomas de Villanoua, per arma Iustitiæ, bonum certamen certauit, prodigius animæ magnæ in sui victoriam, & magnarum diuitiarum in triumphum Charitatis. Morbi profligati; pauperes euangelizati, vita propagata, sanctissimum prædicant. Nil abest igitur quin sacro Heroi laurea, & diadema decoris decernatur, vt egregiorum facinorum præmia, æquè, ac ipsa facinora, elucescant in splendoribus Sanctorum.